

dictorum, per totum tertium articulum. Quibus similia ponit, 3 p., q. 75, art. 7, per totum.

Et quia supra dictum est quod in transsubstantiatione non solum est successio substantiarum, immo quod in corpore Christi relinquitur novus effectus, etc., de hoc Petrus de Palude sic dicit (dist. 11, q. 3) : « Ista conversio non est annihilation, quia non est versio in nihil, sed in aliquid : licet illud in quod est conversio, non aequirat ex conversione novam formam, sicut cum aer vertitur in ignem per generationem ; nec novam materiam, sicut cum cibus convertitur in cibatum ; sed sicut quando est corruptio sine generatione, ut quando lux corrumpitur, ipsa forma non annihilatur, sed convertitur in subjectum, non sic quod subjectum ex luce generetur, nec quod aliquid lucis addatur essentiæ subjecti, sed transit in subjectum, cedens in potentiam ejus ; et quamvis non sit plus in potentia hujus partis in quam cedit quam alterius, dicitur tamen in istam partem converti, vel transire. Sic dicitur substantia converti in corpus Christi, et transsubstantiari, et haec substantia in illam transire : non quia in illa fiat nova forma substantialis, aut materia, sed per simplicem transitionem in illam, quia relinquit ibi novum effectum, ut statim dicetur. » — Haec Petrus. — Quomodo autem relinquat novum effectum, recitatum est prius, in solutione primi argumenti Durandi contra secundam conclusionem.

Ad argumentum principale pro quaestione, respondeat beatus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, q<sup>la</sup> 1; in solutione primi argumenti, dicens quod « verbum Damasceni intelligendum est quantum ad species, quibus corpus Christi divinitatis unitum modo ineffabili conjungitur ». — Haec ille.

Et haec de quaestione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

## DISTINCTIO XII.

### QUÆSTIO I.

UTRUM ACCIDENTIA SEPARATA A SUBSTANTIA PANIS CONVERSI IN CORPUS CHRISTI, POSSINT IMMUTARE SUBSTANTIALITER ALIQUID EXTRINSECUM.

 INCA duodecimam distinctionem Quarti, queritur : Utrum accidentia separata a substantia panis conversi in corpus Christi, possint immutare substantialiter aliquid extrinsecum.

Et arguitur quod non. Nihil agit ultra suam speciem, sed citra quandoque; quia effectus non est nobilior sua causa. Sed substantia est nobilior omni accidente. Igitur illa accidentia non possunt aliquam substantiam generare.

In oppositum arguitur. Quia istæ species habent eamdem virtutem quam habebant ante transsubstantiationem; quia nihil est eis ablatum, sed additum. Sed ante transsubstantiationem poterant aliquid substantialiter immutare. Ergo et post.

In hac quaestione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio :** Quod in sacramento Eucharistiae remanent accidentia panis sine subjecto quod sit substantia, et aliquid accidens sine quoquam subjecto.

Hanc ponit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, q<sup>la</sup> 3, ubi sic dicit : « Quidam dixerunt quod vera substantia panis simul remanet sub sacramento cum corpore Christi; et, secundum hoc, accidentia non essent in hoc sacramento sine subjecto. Sed haec opinio in precedenti distinctione impugnata est, et improbata. — Alia opinio est, quod remanet ibi forma substantialis, et in ea fundantur omnia accidentia quae ibi apparent. Sed non minus difficile est materialem formam substantialem a materia separare, quam accidentia a subjectis. Et præterea, quantitas non respicit formam nisi ratione materie; unde forme immateriales dimensionibus carent; et ideo, cum alia accidentia mediante quantitate referantur ad substantiam, non poterit forma sine materia existens, accidentium sensibilium esse subjectum. Et hoc etiam dicit Boetius, libro *de Trinitate*, quod forma simplex subjectum esse non potest. — Et ideo alii dixerunt quod accidentia illa fundantur in aere sicut in subjecto. Sed haec opinio stare non potest. Constat enim quod, ante transsubstantiationem, subdimensionibus panis non erat aer. Ergo, si, conversione facta, sit ibi aer, oportet quod aer subintraverit per motum localem dimensiones illas. Sed iste motus non percipitur. Et præterea, inconveniens est quod subjectum moveatur motu locali ad accidens, et quod accidens transeat de subjecto in subjectum. Probatum etiam est a physicis (*4. Physicorum*, t. c. 76), quod corpus naturale et corpus mathematicum non possunt esse

simul; unde, cum illæ dimensiones quæ fuerunt panis, sint quoddam corpus non naturale, sed mathematicum, non poterit aer cum illis dimensionibus simul esse; nec poterit esse subjectum earum, quia habet proprias dimensiones aer. Cum ergo omnes dimensiones sint ejusdem speciei, in qua cumque materia sint, quia materia non intrat in definitionem communem earum, si dimensiones iterum panis sint in aere sicut in subjecto, sequitur quod duo accidentia ejusdem speciei sint in eodem subjecto; quod est contradictoria esse simul; quia accidentium ejusdem speciei numeratio non est nisi ex subjecto; unde, si subjectum sit unum, sequitur illa accidentia esse plura et non plura. Constat etiam quod aer non est susceptivus talium accidentium, scilicet duritiae, figuræ determinatae, et aliorum hujusmodi, quæ ibi apparent. — Et ideo dicendum quod accidentia sunt ibi sine subjecto; non enim potest dici quod sint in corpore Christi sicut in subjecto. Sciendum autem quod substantia corporalis habet quod sit subjectum accidentium ex materia (a) sua, cui inest primo subjici alteri. Prima autem dispositio materiæ est quantitas: quia secundum ipsam attenditur divisio ejus et indivisio, et ita unitas et multitudo, quæ sunt prima consequentia ens; et, propter hoc, sunt dispositiones totius materiæ, non hujus aut illius tantum. Unde omnia alia accidentia mediante quantitate in substantia fundantur; et quantitas est prior eis naturaliter; et ideo non claudit materiam sensibilem in ratione sua, quamvis claudat materiam intelligibilem, ut dicitur in 7. *Metaphysicæ* (t. c. 35 et 39). Unde ex hoc quidam decepti fuerunt, ut crederent dimensiones esse substantiam rerum sensibilium, quia, remotis qualitatibus, nihil sensibile remanere videbant nisi quantitatem; quæ tamen secundum esse suum dependet a substantia, sicut et alia accidentia. Virtute autem divina confertur dimensionibus quæ fuerunt panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento; quod est prima proprietas substantiæ; et, per consequens, datur eis ut sustineant alia accidentia, sicut et sustinebant quando substantia eis suberat. Et sic alia accidentia sunt in dimensionibus sicut in subjecto; ipsæ vero dimensiones sunt sine subjecto. » — Hæc ille.

Eamdem conclusionem ponit; 3 p., q. 77, art. 1 et 2. Nam, art. 1, probat primam partem conclusionis, dicens: « Accidentia panis et vini, quæ sensu deprehenduntur in hoc sacramento remanere, non sunt post consecrationem sicut in subjecto in substantia panis et vini, quæ non remanent, ut supra dictum est (*ibid.*, q. 75, art. 2 et 6); nec etiam in forma substantiali, quæ non remanet, et, si remaneret, subjectum esse non posset, ut patet per Boetium, libro de Trinitate. Manifestum est etiam

quod hujusmodi accidentia non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto: quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici; neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum, impassibile existens, alteretur ad suscipiendum hujusmodi qualitates. — Dicunt autem quidam, quod sunt sicut in subjecto in aere circumstante. Sed nec hoc esse potest. Primo quidem, quia aer non est hujusmodi accidentium susceptivus. Secundo, quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aer, quinimmo ad motum harum specierum aer depellitur. Tertio, quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, ut scilicet idem numero sit, quod primo fuit in uno subjecto, postmodum in alio: accidens enim numerum accipit a subjecto; unde non potest esse quod idem numero manens, sit quandoque in hoc, quandoque in alio subjecto. Quarto, quia, cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet propria accidentia et aliena. Nec potest dici quod hoc fiat miraculose, virtute consecrationis: quia verba consecrationis hoc non significant; quæ tamen non efficiunt nisi significatum. — Et ideo relinquunt quod accidentia in hoc sacramento manent sine subjecto. Quod quidem divina virtute fieri potest. Cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda, potest Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare in esse accidens, subtracta substantia per quam conservabatur in esse sicut per causam proximam; sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere, sine naturalibus causis; sicut corpus humanum formavit in utero Virginis, sine virili semine. » — Hæc ille. — Ex quibus patet prima pars conclusionis, scilicet quod nullum tale accidens panis sit in aliqua substantia subjective.

Pro secunda parte conclusionis dicit sic, in sequenti articulo, scilicet secundo: « Necessæ est dicere alia accidentia quæ remanent in hoc sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis et vini remanente. Primo quidem, per hoc quod ad sensum appetit aliquod quantum esse ibi coloratum, et aliis accidentibus affectum; nec in talibus sensus decipitur. Secundo, quia prima dispositio materiæ est quantitas dimensiva; unde et Plato posuit primas differentias materiæ *magnum* et *parvum*. Et quia primum subjectum est materia, consequens est quod omnia alia accidentia referantur ad substantiam, mediante quantitate dimensiva; sicut et primum subjectum coloris dicitur esse superficies; ratione cujus quidam posuerunt dimensiones esse substantias corporum, ut dicitur, 1. *Metaphysicæ* (t. c. 19 et sq.). Et quia, subtracta substantia, remanent accidentia secundum esse quod prius habebant, consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitatem dimensivam. Tertio, quia, cum subjectum sit principium indivi-

(a) *materia*. — *natura* Pr.

duationis accidentium, oportet illud quod ponitur aliquorum accidentium esse subjectum, esse aliquo modo individuationis principium. Est autem de ratione individui, quod non possit esse in pluribus. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, quia non est natum esse in aliquo; et hoc modo formæ immateriales separatae, per se subsistentes, sunt etiam per seipsas individuae. Alio modo, ex eo quod forma substantialis, vel accidentalis, est quidem nata in aliquo esse, non tamen in pluribus; sicut haec albedo, quæ est in hoc corpore. Quantum ergo ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inherenteribus: quia, cum hujusmodi formæ, quantum est de se, sint natae in aliquo esse sicut in subjecto, ex quo aliqua earum recipitur in materia, quæ non est in alio, nec ipsa forma sic existens potest in alio esse. Quantum autem ad secundum, dicendum est quod individuationis principium est quantitas dimensiva. Ex hoc enim aliquid natum est esse in uno solo, quod illud est indivisum in se, et divisum ab omnibus aliis. Divisio autem accedit substantiæ ratione quantitatis, ut dicitur, 1. *Physicorum* (t. c. 15). Et ideo ipsa quantitas dimensiva, est quoddam individuationis principium formis, inquantum scilicet diversæ formæ numero sunt in diversis partibus materiæ. Unde ipsa quantitas dimensiva secundum se habet quamdam divisionem et individuationem, ita quod possumus imaginari plures lineas ejusdem speciei, differentes positione, quæ cadit in ratione quantitatis hujus. Convenit enim dimensioni quod sit quantitas positionem habens. Et ideo potius quantitas dimensiva potest esse subjectum aliorum accidentium, quam econtra. » — Hæc ille.

Similia dicit, 4. *Contra Gentiles*, cap. 65; et nono *Quodlibeto*, art. 5.

Ex quibus possunt formari rationes pro utraque parte conclusionis. — Pro prima quidem. Quia, si accidentia panis essent, facta conversione, in aliqua substantia: aut illa esset substantia panis, aut substantia corporis Christi, aut aliqua alia. Sed nullum horum dici potest. Ergo nullum tale accidens est subjective in aliqua substantia. — Sed pro secunda parte conclusionis arguitur sic: Omnis qualitas extensa, et divisibilis, et movens sensum, est subjective in quantitate. Sed qualitates Eucharistiae sunt hujusmodi. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod praedicta accidentia possunt immutare substantialiter aliquid extrinsecum.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., ubi supra (q. 77), art. 3, dicens: « Quia (α) unumquodque agit inquantum est actus ens, consequens est quod

unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habeat (α) ad agere. Quia ergo sacramentalibus speciebus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis et vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo agere. Et ideo omnem actionem quam poterant agere, substantia panis et vini existente, possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi. Unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione tertii argumenti, sic dicit: « Immutatio que est ad formam substantialem, non sit a forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus activis et passivis, quæ agunt in virtute formæ substantialis. Hæc autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute, sicut et prius erat. Et ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter, per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtutē-propria, sed virtute principalis agentis. » — Hæc ille.

Item, 4. *Sententia*, dist. 12, q. 1, art. 2, in solutione primæ quæstiunculae, sic dicit: « Agere non est nisi rei per se subsistentis. Et ideo neque materia agit, neque forma, sed compositum; quod tamen non potest agere ratione materiæ, sed ratione formæ, quæ est actus, et actionis principium. Et quia quantitas se tenet ex parte materiæ, qualitas ex parte formæ, ideo quantitas non agit nisi mediante qualitate, quæ est per se actionis principium; unde qualitates sunt sensibiles per se primo, quantitates secundo. Quia ergo in sacramento qualitates retinent eundem modum essendi quem habebant manente substantia panis, ideo habent eundem modum agendi, ut immutent et agant naturaliter, sicut prius. Quantitas enim, quæ alium modum essendi habet, quia non est in subjecto, non ageret nisi mediante qualitate. » — Hæc ille.

Item, in solutione secundæ quæstiunculae, sic dicit: « In actionibus naturalibus, formæ substantiales non sunt immediatum et proximum actionis principium, sed agunt mediantibus qualitatibus activis et passivis, sicut propriis instrumentis, ut dicitur, 2. *de Anima* (t. c. 50), quod calor naturalis est quo anima agit. Et ideo qualitates non solum agunt in virtute propria, sed etiam in virtute formæ substantialis. Unde earum actio non solum terminatur ad formam accidentalem, sed etiam ad formam substantialem; et, propter hoc, generatio est terminus alterationis. Hujusmodi autem virtutem instrumentalem recipiunt, eo ipso quo a principiis essentialibus causantur. Unde sicut remotis substantiis remanet accidentibus idem esse secundum speciem, virtute divina; ita etiam remanet eis eadem virtus quæ prius. Et ideo, sicut ante poterant

(α) Quia. — Quod Pr.

(α) habeat. — habet Pr.

immutare ad formam substantialem, ita et nunc. » — Hæc ille.

Simile ponit, 4. *Contra Gentiles*, cap. 66; et multis aliis locis.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conklusione: Ubi cumque manet idem, et secundum idem esse, principium actionis, ibi potest esse actio ad eundem terminum. Sed in Eucharistia manet idem, secundum essentiam, et secundum esse, principium actionis productivæ substantiæ, quod erat prius. Ergo ab illo potest procedere eadem actio ad eundem terminum.

**Tertia conclusio est quod prædicta accidentia possunt corrupti, et ex eis sic corruptis potest generari substantia.**

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 4 et 5. Nam, art. 4, sic dicit: « Corruptio est motus de esse in non esse. Dictum est autem supra (ibid., art. 3), quod species sacramentales idem esse retinent, quod prius habebant, substantia panis et vini existente. Et ideo, sicut esse horum accidentium corrupti poterat, substantia panis et vini existente, ita etiam potest corrupti, illa substantia abeunte. Poterant autem hujusmodi accidentia prius corrupti dupliciter: uno modo, per se; alio modo, per accidens. Per se quidem, sicut per alterationem qualitatum, et augmentum vel diminutionem quantitatis: non quidem per modum augmenti vel diminutionis, qui invenitur in solis corporibus animatis, qualia non sunt substantia panis et vini; sed per additionem ( $\alpha$ ) vel divisionem. Nam, sicut dicitur, 3. *Metaphysicæ* (t. c. 17), per divisionem una dimensio corruptitur, et fiunt duæ; per additionem autem econtra, ex duabus fit una. Et per hunc modum manifeste possunt corrupti hujusmodi accidentia post consecrationem: quia et ipsa quantitas dimensiva remanens potest divisionem et additionem suscipere; et, cum sit subjectum qualitatum sensibilium, potest etiam esse subjectum alteratio- nis earum, puta si alteretur color aut sapor panis et vini. Alio modo poterant corrupti per accidens, per corruptionem subjecti. Et hoc modo possunt corrupti etiam post consecrationem: quamvis enim subjectum non remaneat, remanet tamen esse quod habebant hujusmodi accidentia in subjecto, quod quidem est proprium et conforme substantiæ; et ideo accidentia possunt corrupti a contrario agente, sicut corrumpebatur substantia panis et vini, quae etiam non corrumpebatur nisi praecedente altera- tione circa accidentia. Distinguendum tamen est inter utrumque prædictarum corruptionem. Quia, cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantia panis et vini, si fiat talis

immutatio ex parte accidentium, quæ non suffi- cisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento: sive fiat immutatio ex parte qualitatis, puta cum modicum immutatur color aut sapor panis aut vini; sive ex parte quantitatis, sicut cum dividitur panis aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis potest salvari natura panis aut vini. Si vero fiat tanta immutatio quod fuisse corrupta substantia panis aut vini, non remanet corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento: et hoc tam ex parte qualitatum, sicut cum ita immu- tatur color, et sapor, et aliae qualitates panis et vini, quod nullo modo posset pati natura panis et vini; sive ex parte quantitatis, puta si pulverizetur panis vel vinum, et ( $\alpha$ ) in minimas partes dividatur, ut jam non remaneant species panis vel vini. » — Hæc ille.

In sequenti vero articulo, sic dicit: « Cum cor- ruptio unius sit generatio alterius, ut dicitur, 1. *de Generatione* (t. c. 17), necesse est quod ex speciebus sacramentalibus aliquid generetur, cum corrumpantur, ut dictum est (art. præc.): non enim sic corrumpuntur, ut omnino dispereant, quasi in nihilum redigantur; sed manifeste aliquid sensibile eis succedit. Quomodo autem ex eis aliquid generari possit, difficile est videre. Manifestum est enim quod ex corpore et sanguine Christi, quæ ibi veraciter sunt, non generatur aliquid, cum sint incorruptibilia. Si autem substantia panis et vini remaneret in hoc sacramento, vel eorum materia, facile esset assignare quod ex eis generatur illud sensibile quod succedit, ut quidam posuerunt. Sed hoc falsum est. Et ideo quidam dixerunt quod ea quæ generantur, non fiunt ex speciebus sacramen- talibus, sed ex aere circumstante. Quod quidem multipliciter appareat esse impossibile. Primo quidem, quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum et corruptum appareat; nulla autem alteratio aut corruptio prius apparuit in aere circumstante; unde ex eo vermes aut cineres non generantur. Secundo, quia natura aeris non est talis quod ex eo per tales alteraciones talia generentur. Tertio, quia potest contingere in magna quantitate hostias conse- cratas comburi vel putrescere, nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aere generari, nisi magna, vel etiam valde sensibili inspissatione aeris facta. Quarto, quia idem potest accidere solidis corporibus circumstantibus, puta ferro aut lapidibus, quæ integra manent post prædictorum generatio- nem. Unde haec positio stare non potest, quia contrariatur ei quod ad sensum appetit. Et ideo alii dixerunt quod reddit panis et vinum in ipsa corrup- tione specierum, et sic ex substantia panis et vini redeunte generantur cineres, aut vermes, aut ali-

( $\alpha$ ) additionem. — dimensionem Pr.

( $\alpha$ ) et. — ut Pr.

quid hujusmodi. Sed ista positio non videtur esse possibilis. Primo, quia *substantia* panis et vini *conversa* est in *corpus* et *sanguinem*; et ideo non potest *substantia* panis vel vini redire, nisi corpore aut *sanguine Christi* iterum *converso* in *substantiam* panis et vini; quod est impossibile; sicut si aer sit *conversus* in ignem, non potest aer redire, nisi iterum ignis convertatur in aerem. Si vero *substantia* panis et vini sit *annihilata*, non potest iterum redire; quia quod in *nihilum* decidit, non redit idem numero; nisi forte dicatur redire *praedicta substantia*, quia Deus de novo creat novam *substantiam* loco *primae*. Secundo videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando *substantia* panis redeat. Manifestum est enim quod, manentibus speciebus panis et vini, manet *corpus* et *sanguis Christi*, quae non sunt simul cum *substantia* panis et vini in hoc *sacramento*. Unde *substantia* panis et vini non potest redire, speciebus *sacramentalibus* manentibus. Similiter etiam nec eis cessantibus: quia jam *substantia* panis et vini esset sine propriis *accidentibus*; quod est impossibile. Nisi forte dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit non *substantia* panis et vini, quia ( $\alpha$ ) illud idem instans est in quo primo ( $\beta$ ) habent esse *substantiae generatae* ex speciebus, sed *materia* panis et vini, quae magis ( $\gamma$ ) de novo creata diceretur quam rediens, proprie loquendo. Et, secundum hoc, posset sustineri *praedicta positio*. Verum quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod *materia* creetur vel redeat, melius videtur dicendum quod in ipsa consecratione datur quantitati dimensivae specierum panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium *materiae*. Et ideo, ex-consequenti, datur *praedictae* quantitati dimensivae omne illud quod ad *materiam* pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex *materia* panis, si esset, totum potest generari ex *praedicta* quantitate dimensiva panis vel vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti. — Hæc ille.

Eamdem conclusionem ponit, cum simili probatione, 4. *Sentent.*, duodecima distinctione, q. 1, art. 2, in solutione quartæ quæstiunculae, ubi sic dicit: « Illæ species, sicut habent, ex hoc quod subsistant, quod possunt agere quidquid poterant substantiis panis et vini existentibus; ita habent ut possint converti in quidquid poterant converti substantiae præexistentes. Quod sic intelligi potest. Sicut enim dicit Commentator, in 1. *Physicorum* (t. c. 63), et in libro *de Substantia orbis* (cap. 1), in *materia* generabilium et corruptibilium oportet

intelligere dimensiones interminatas ante adventum formæ substantialis; alias non posset intelligi divisio materiæ, ut in diversis partibus materiæ diversæ formæ substantiales essent. Hujusmodi autem dimensiones, post adventum formæ substantialis, accipiunt esse terminatum et completum. Quidquid autem intelligitur in materia ante adventum formæ substantialis, hoc manet idem numero in genito et in eo ex quo generatur; quia, remoto posteriori, oportet remanere prius. Dimensiones autem illæ interminatae se habent ad genus quantitatis sicut *materia* ad genus substantiæ. Unde, sicut in quolibet completo in genere substantiæ est accipere materiam, quæ est ens incompletum in genere illo; ita in dimensionibus completis, quæ sunt in hoc sacramento, est accipere dimensiones completas; et, his mediantibus, *materia* panis formam reciperet ejus quod ex pane generaretur, pane non *converso* in *corpus Christi*. Unde, sicut dimensionibus illis datum est ut subsistant, et subsint illi esse, quod est conforme esse prioris substantiæ, et terminationi quantitatis, et omnibus aliis accidentibus; ita etiam datur eis quod possint subsesse alteri formæ naturali, et aliis accidentibus; quia de natura sua non habent quod subsint tantum accidenti, sed etiam formæ substantiali, ut dictum est. Et tunc, vel ex consequenti adveniet ( $\alpha$ ) etiam *materia*, propter concomitantiam naturalem formæ ad materiam, sicut propter concomitantiam naturalem animæ Christi ad *corpus*, erat anima sub *sacramento* (et hoc quodammodo redit in prius dictum, ut scilicet *materia* ibi de novo fiat) vel dimensioni divina virtute dabitur *natura* materiæ, propter propinquitatem ad ipsam, ut sic illud genitum sit compositum ex *materia* et *forma*. — Hæc ille.

Similia dicit, 4. *Contra Gentiles*, cap. 66.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Ex eo quod retinet omnem virtutem activam et passivam substantiae, potest generari omne quod poterat generari ex tali substantia. Sed accidentia Eucharistiae sunt hujusmodi. Ergo, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. **Argumenta Scoti.** — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem, contra primam arguit Scotus (dist. 42, q. 2), probando quod alia accidentia aequa possunt esse sine subjecto sicut *quantitas*.

( $\alpha$ ) *secundum*. — Ad. Pr.

( $\beta$ ) *primo*. — Om. Pr.

( $\gamma$ ) *quæ magis*. — *magis quasi Pr.*

( $\alpha$ ) *adveniet*. — *adveniat Pr.*

**Primo.** Quia dependentia ad primum est essentialior quam ad aliquod posterius, loquendo de absolutis dependentibus. Sed qualitas est forma absoluta, sicut quantitas. Ergo aequo essentialiter vel essentialius dependet qualitas a substantia, quam a quantitate. Si ergo potest esse qualitas sine actuali dependentia ad substantiam, poterit esse qualitas sine dependentia actuali ad quantitatem.

**Secundo sic :** Absoluto et perfectiori non magis repugnat per se esse, quam absoluto imperfectiori. Sed qualitas est forma absoluta, secundum te; et perfectior quam quantitas. Ergo, etc. Minor probatur quantum ad secundam partem : — **Primo.** Quia qualitas est per se principium agendi actione reali; patet; etiam tu concedis. Sed quantitas non : quia nulla actio realis, ut hic loquimur, convenit quantitati. — **Secundo.** Quia secundum ordinem substantiarum attenditur ordo qualitatum; substantiis enim nobilioribus correspondent qualitates nobiliores. Non sic autem correspondet ordo quantitatum: non enim semper nobilior substantia est major quantitate; maxima enim in genere corporalium, eujusmodi sunt elementa, sunt imperfectissima. Illud autem videtur perfectius, quod proportionatiter in sua perfectione correspondet perfectiori. — **Tertio.** Quia per qualitates substantiae perfecte consequuntur finem suum: vel enim actus beatificus est qualitas; vel, si non, saltem, secundum omnem opinionem, ad beatitudinem requiruntur aliqua formae supernaturales, vel aliqua forma quae est qualitas. Quantitas autem nullo modo est principium attingendi finem suum. — **Quarto.** Quia quantitas consequitur compositum ratione materiae; qualitas autem ratione formae. Forma autem est simpliciter perfectior quam materia, 7. *Metaphysica* (t. c. 7, etc.) (α). Et istud ultimum forte est ratio primi et secundi et tertii medii. Propter hoc enim ordo qualitatum correspondet secundum perfectionem ordini substantiarum, et propter hoc qualitas est principium actionis realis, et etiam ipsi substantiae principium attingendi finem suum. —

**Quinto.** Quia illud quod magis convenit cum perfectione simpliciter, est simpliciter perfectius. Qualitas autem, utpote sapientia, magis convenit cum perfectione simpliciter, sicut intelligere et velle, quam quantitas. Quia vel est una ratio formalis divinae sapientiae et creatae sapientiae, quae est qualitas; vel, si non, saltem ad omnem propinquitatem, in analogia magis est propinquitas sapientiae creatae ad divinam sapientiam, quam alicujus quantitatis ad Deum, vel aliquid ejus. Unde, sicut possibile est perfectionem simpliciter esse in creatura, scilicet cum limitatione, qualitas, quae est sapientia, est perfectio simpliciter habentis eam; nulla autem

quantitas est perfectio simpliciter, nec etiam (α) sicut possibile est creaturam habere rationem perfectionis simpliciter.

**Tertio principaliter.** Magis videtur repugnare accidenti relativo, seu respectui, esse sine subjecto, quam cuicunque absoluто, vel alteri accidenti. Sed istud potest esse sine quocumque subjecto. Ergo quocumque aliud. Probatur minor. Quia, si repugnet sibi : aut ergo unde accidens, aut unde relatio. Non unde accidens; quia tunc repugnaret cuicunque accidenti. Nec unde relatio : quia tunc repugnaret relationi divinae; quod est falsum, quia illa non est in subjecto.

**Quarto (ibid., q. 4).** Nam multa alia accidentia de facto sunt ibi sine subjecto. Nam ille species Eucharistiae possunt rarefieri et condensari. Sed talis condensatio, vel rarefactio, nullum habet subjectum. Ergo erit ibi motus rarefactionis et condensationis sine subjecto. Major nota est ad sensum. Sed minor probatur : quia, cum ille species condensantur vel rarefiunt, quantitas prior et quantitas posterior est alia et alia, ita quod nihil prioris remanet in posteriori, nec aliqua pars posterioris praefuit in priori; ergo illa rarefactio nullum habet subjectum, quia nec priorem quantitatem, nec posteriorem.

Assumptum istud de alietate quantitatis probatur primo sic. Terminos motus oportet esse incompossibilis, ex 5. *Physicorum* (t. c. 26). Ergo nihil unius termini manet in altero, sicut incompossibile non est in suo incompossibili. — Si etiam dicatur quod aliqua quantitas hic manet eadem, sed termini mutationis sunt *majus* (β) et *minus* in ipsa quantitate manente; — hoc non valet. Quia subjectum motus et terminos oportet realiter differre; sed quantitas illa est *majus* et *minus* in quantitate non differunt realiter; non enim potest dici quod fiat variatio secundum *majus* et *minus*, quin fiat variatio secundum essentiam quantitatis, cum *majus* et *minus* non sint nisi ipsum quantum essentialiter. Cum ergo subjectum motus stet sub utroque termino, unus autem terminus non stet cum alio, oportet subjectum motus ab utroque realiter differre.

**Secundo probatur idem assumptum sic.** Quilibet pars rioris est rior. Ergo quilibet pars rioris est major secundum quantitatem quam prius. Ergo quilibet est quanta, nova quantitate. — Si dicas quod non sequitur omnino nova quantitas, sed nova secundum partem tantum; — Contra. Quia, si aliquid prioris quantitatis maneat, quero in quo subjecto. Non nisi in eodem in (γ) quo prius; quia accidens non migrat. Igitur illud quod prius fuit quan-

(α) etiam. — est Pr.

(β) majus. — magis Pr.

(γ) in. — Om. Pr.

tum hac quantitate, modo erit quantum eadem. Ergo non potest esse quantum, nec secundum se totum, nec secundum partem, aliqua nova quantitate, nisi idem sit simul quantum duabus quantitatibus; quod est impossibile; vel nisi in rarefactione sit aggeneratio novarum partium substantiarum sub nova quantitate, et additio quantarum ad quantas praesistentes sit rarefactio. Sed hoc nihil est: quia tunc non quaelibet pars rioris esset rior; illa enim pars antiqua non esset rior formaliter per hoc quod sibi continuaretur alia pars nova. Igitur, etc.

Confirmatur sic argumentum: Sicut quantitas, divina virtute, habet esse in Eucharistia sine subjecto; ita habet omnia que sibi convenire possunt in subjecto, eadem divina virtute. Sed quantitas conjuncta subjecto rarefit et condensatur; nec tamen ipsa est subjectum illius motus. Ergo et in proposito, cum est separata, ipsa rarefit et condensatur, sine hoc quod sit subjectum motus. — Item, quia illa fractio et divisio specierum est motus; et tamen non habet subjectum. Et idem dicitur de appositione. Igitur, etc.

**II. Alia argumenta Scoti.** — Ulterius (dist. 12, q. 2) arguit quod in Eucharistia quantitas non sit subjectum aliorum accidentium.

**Primo.** Quia, secundum Philosophum, 4. *Metaphysicæ* (t. c. 14), accidens non accedit accidenti, nisi quia ambo accidentia eidem subjecto; nihil enim hoc illi magis inest, quam illud huic.

**Secondo.** Quia, sicut substantiae convenit per se esse, ita accidenti convenit inherere. Ergo, sicut repugnat substantiae inherere, ita accidenti per se esse, vel substare.

**Tertio.** Quia nullum dependens terminat dependentiam ejusdem rationis. Sed omne accidens dependet dependentia ad subjectum. Ergo nullum accidens terminat hanc dependentiam.

**III. Argumenta Aureoli.** — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (dist. 12, q. 2, art. 1), probando

**Primo** (2), quod modus quo ponitur accidens in Eucharistia separari a subjecto, non sit conveniens: scilicet quod detur accidenti subsistere, et modus essendi substantiae et entis completi. Quia contradictione est quod aliqua virtute unum genus transmutetur in aliud; vel species in speciem, ut quod qualitas fiat quantitas, vel homo fiat equus. Ratio est: quia hoc repugnat per se in primo modo; sequitur enim ex hoc eamdem rem esse et non esse. Sed essentia accidentis, secundum genus suum, consistit in esse rem interminabilem intrinsecum per sua principia, nec per sua principia terminabilem (6), sed omnino per extrinsecum, puta per subjectum;

(2) *Primo.* — Om. Pr.

(6) a verbo *nec usque ad terminabilem*, om. Pr.

sicut esse lineae consistit in esse rem interminabilem intrinsecum, esse autem terminalam extrinsecum, scilicet per puncta. Ergo impossibile est quod hoc modo accidentia fiant entia terminata et integra; tunc enim genus accidentis mutaretur in substantiam, cui soli convenit intrinsecum secundum genus suum esse essentiam integrum et terminatum.

Secundo arguit (ibid., q. 1, art. 1) quod quantitas non sit ibi sine subjecto plus quam qualitas. Quia quantitas non est aliquid habens partes; sed est partibilitas ipsa formalis, qua habens partes est formaliter partibile. Sed constat quod partibilitas est subjective in eo quod habet partes formaliter; cujusmodi sunt qualitates remanentes in Eucharistia. Ergo quantitas est subjective in illis qualitatibus. Assumptum probatur. Quia res est partibilis per quantitatem. Tunc quero: aut illa partibilitas est ipsam quantitas; aut est aliquid aliud impressum a quantitate. Si detur primum, habetur propositum. Si detur secundum: — Contra. Quia tunc possem intelligere substantiam partibilem sine quantitate; et posset Deus facere eam sub illo modo derelicto, non faciendo eam sub quantitate. Similiter tunc causalitas ejus esset causalitas efficientis, et non formæ. Igitur oparet dare primum modum, quod quantitas sit ipsam partibilitas partium.

Confirmatur. Quia (2) aliter non potest vitari quin plures dimensiones essent simul. Nam cum dimensio immediate consequatur partes, si partes ligni, vel alterius substantiae, aut accidentis quanti, sint divise a partibus quantitatis, necessario aliae erunt dimensiones (6) substantiae vel qualitatis, et aliae dimensiones (7) quantitatis. Si enim illud quod substernitur quantitati haberet partem et partem correspondentem partibus quantitatis substratam, tunc diverse realitates hoc modo haberent aliam et aliam partibilitatem: quia, multiplicato effectu formaliter, multiplicatur formalis ratio illius effectus; et tunc haberent necessario aliam et aliam dimensionem (6).

**IV. Alia argumenta Aureoli.** — Ulterius (dist. 12, q. 2, art. 1) arguit quod Deus posset omne accidens, quantumcumque sit modice entitatis, a subjecto separare.

**Primo.** Quia illud quod non implicat contradictionem in primo modo dicendi per se, est Deo possibile. Sed accidens esse, et subjectum non esse, non est repugnatio per se in primo modo: quia repugnatio in primo modo est affirmatio et negatio unius et ejusdem modo, si dicatur, *accidens est*, et, *subjectum non est*, licet prædicatum sit idem,

(2) *Quia.* — *Quod Pr.*

(6) *dimensiones.* — *divisiones Pr.*

(7) *dimensiones.* — *divisiones Pr.*

(6) *dimensionem.* — *divisionem Pr.*

tamen subjectum non est idem per simplicem indisionem.

**Secundo.** Quia Deus potest manutener quicunque realitatem in suo esse. Tunc sic: quando duæ realitates sic se habent quod una non est alia, licet fudent eamdem indisionem, potest Deus manutener unam illarum, non manutener aliam, nec indisionem illarum.

**Tertio.** Quia plus potest Deus per suam potentiam facere, quam intellectus arguere vel intueri. Ratio est: quia multa Deo possibilia sunt, quae non potest intellectus noster intueri; sicut patet de unione ad Verbum. Sed, licet intellectus noster non possit intuitivè apprehendere accidens, non apprehendendo subjectum, tamen arguitive potest a posteriori cognoscere quod una res non est alia, propter transmutationem, quia contingit subjectum de uno in aliud transmutari. Et tunc intellectus potest arguere, quandocumque duo sic se habent quod unum potest manere alio non manente, illa non sunt eadem. Et ideo non est contradicatio quod unum intelligatur, non intellecto alio. Sed sic est de accidente et subjecto. Igitur, etc. — Hæc ille.

#### § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scoti.** — Contra secundam conclusionem arguit Scotus (dist. 12, q. 3), probando quod in actionibus naturalibus immediatum principium actionis non semper sit accidens.

**Primo.** Quia nihil agit ultra suam speciem. Sed terminus actionis naturalis, est quandoque substantia. Igitur accidens non est immediatum principium actionis praedictæ. — Si dicas quod verum est virtute propria; sed virtute alterius, cuius est instrumentum, aliquid bene posset agere ultra suam speciem, sicut si serræ agat ad formam scanni; — **Contra.** Quia nihil est instrumentum alicujus causæ, nisi ( $\alpha$ ) superioris causæ in genere causæ efficientis. Ergo, si accidens conjunctum, est instrumentum, substantia erit superius agens. Sed superius agens prius naturaliter agit; et, si est naturale, agit quidquid potest. Ergo substantia in illo priori natura; in eodem tamen instanti temporis in quo accidens agit ut instrumentum ejus, substantia producit terminum tantum quantum producere potest. Sed potest producere totani substantiam; quia perfectio substantiae productæ non excedit perfectionem substantiae producentis. Ergo in secundo instanti naturæ accidens non producit substantiam; vel eadem substantia bis producetur. Ergo, etc.

**Secundo.** Quia omnis potentia mero passiva, est contradictionis, 9. *Metaphysicæ* (t. c. 17). Substantia autem non est in potentia contradictionis ad propriam passionem. Ergo habet aliam causalitatem

respectu ejus a causalitate materiae. Non autem nisi efficientis; quia ( $\alpha$ ) non formalis, patet de se; de fine autem non est sermo hic. Unde videtur quod oportet te istud concedere, secundum dicta tua. Dicis enim potentias fluere ab essentia animæ; et hic dicis quod accidens habet virtutem instrumentalē, quia causatur a principiis essentialibus animæ, vel substantiæ; ista autem non possunt intelligi tantummodo passive pro subjecto receptivo.

**Tertio.** Si accidens producitur, et per aliquod principium immediatum productivum, quod est per se accidens, sequitur processus in infinitum; non loquendo de infinitate accidentalis, scilicet generantium in eadem specie, de qua loquuntur philosophi; quero ordinem essentialiæ in istis accidentibus. Ubicumque enim est ordo accidentalis in generantibus, oportet dare extra illum ordinem aliquam causam essentialiter perfectiorem. Ergo, respectu accidentium singularium in specie caloris, damus causam proximam essentialiter ordinatam ad totam illam speciem. Eodem modo arguam de individuis illius speciei. Et non est procedere in infinitum in ordine essentialiæ. Ergo stabitur ( $\beta$ ) ad aliquam speciem accidentis, quæ erit causata, et non ab aliquo accidente, sed immediate a substantia. Et, per consequens, substantia habebit rationem principiū activi immediate respectu accidentis.

Confirmatur per Philosophum, 7. *Metaphysicæ*, cap. 11 (t. c. 32), in fine, ubi dicit Philosophus, quod *proprium substantiæ ex his accipere est*; quia ( $\gamma$ ) *necessæ est præexistere aliquam aliam substantiam actu existentem, quæ facit, ut animal, si sit ( $\delta$ ) animal; quale vero et quantum, non necessario, nisi potestate solum*. Vult ergo quod ad hoc quod substantia fiat, est necesse aliam substantiam ( $\epsilon$ ) præexistere, quæ producat; sed ad hoc quod quantum et quale producantur, non oportet aliquid quantum vel quale præexistere, nisi in potentia tantum. Ergo aliquid quod non est quantum vel quale actu, potest esse principium productivum immediatum quanti vel qualis.

Item, 4. *Meteorologicorum* (t. c. ult.), dicit quod singulum est illud quod est, dum potest in propriam operationem. Et simile habetur a Damasceno, cap. 6. Et licet istæ auctoritates habeant instantiam in entibus imperfectis, tamen videtur valde inconveniens quod ens perfectum secundum genus inter creatæ careat actione, ita quod forma ejus non possit esse immediatum principium proximum productivum alicujus actionis.

**Quarto** arguitur sic, secundum unum princi-

( $\alpha$ ) *quia, — quod Pr.*

( $\beta$ ) *stabitur, — stabit Pr.*

( $\gamma$ ) *quia, — quod Pr.*

( $\delta$ ) *si sit, — sit Pr.*

( $\epsilon$ ) *Vult ergo quod ad hoc quod substantia fiat, est necesse aliam substantiam, — actu Pr.*

pium tuum: Quia illa forma est principium agendi, in qua generans et genitum assimilantur. Sed genitum assimilatur principaliter generanti in forma substantiali; secundum quid autem in accidentibus, si in illis assimilatur. Nec potest evadi, dicendo quod ista concludunt formam substantialē esse principium agendi, sed remotum, tam respectu substantiae quam respectu accidentis, de quibus procedunt rationes. Hoc non sufficit. Quia nullus negat in Deo esse aliquam formam, que sit proximum principium agendi: non quod Deus sine causa intermedii intrinsecis agat: sed quia, in suo ordine causandi, per nihil intermedium ultra formam suam agit. Ita, esto, in proposito (quod tamen falso est), quod accidens habeat quandam actionem ad substantiam, posteriore actione substantiae, substantia tamen per propriam formam suam erit principium actionis sibi proprie, in suo ordine agendi. — Haec Scotus, in forma.

**II. Alia argumenta Scoti.** — Ulterius (*ibid.*) arguit quod accidens separatum non possit immutare ad formam substantialē, in virtute propria, nec in virtute substantiae quam informat. Constat enim quod non in virtute propria; quia tunc ageret in virtute propria ultra suam speciem. Quod autem nec in quantum est instrumentum substantiae, probatur. Quero enim quid intelligitur per hoc quod dicitur *in virtute substantiae agere?* Quia, sive intelligatur absolutum, sive respectus, quero in quo est illud? Si enim intelligatur absolutum quod est substantia, vel aliquid quod est in substantia, cum substantia panis non sit simpliciter (2), sequitur quod per nihil, sive per non ens, generalit, vel virtute nihili. Si intelligatur absolutum quod est accidens, vel in accidente, nihil est ibi nobilior ipso accidente; et, per consequens, non magis potest in virtute talis in aliquid perfectius, quam in virtute propria. Si intelligatur habitudo accidentis ad substantiam, vel ad substantiam priorem, cum ad nihil non sit aliqua habitudo, et panis non sit aliquid ens, sequitur quod per hoc quod est in virtute, non ponitur aliquid positivum; et ita idem quod prius.

**Secundo.** Quia ex tuis verbis videtur quod ponas illam virtutem instrumentalem esse in accidente. Dicis enim quod illa virtus causatur in accidentibus, vel quod ipsam recipient eo quod causantur a principiis essentialibus substantiae. Et tunc sequitur manifeste, cum nihil in accidente sit nobilior accidente, non potest accidens per hoc quod dicitur *in virtute;* id est, *per hanc virtutem,* in aliquid perfectius quam possit ex se. Sed intellectus verus horum verborum, *in virtute talis causar,* ubi dicta

verba locum habent, videtur esse iste: scilicet *quod dicit habitudinem causae inferioris ad causam superioris, vel perfectiorem concurrentem in causando,* sicut influentia quam recipit agens inferioris a superiori, non est aliqua forma tunc causata, sed est tantummodo ordo certus causarum in simul agendo.

**Tertio.** Quod non est, nullam rationem cause habet respectu geniti, quando generatur. Patet ex 2. *Physicorum* (t. c. 37), et 5. *Metaphysice*, cap. *de Causa:* quia causa in actu et effectus in actu simul sunt et non sunt. Patet etiam ratione: quia non ens, quando nihil est, nihil causat, in quocumque ordine cause. Substantia autem non est, quam istud accidens afficit, et cuius erat accidens. Ergo illa substantia nullam habet rationem cause propinque vel remote respectu effectus causati ab accidente; et, per consequens, accidens non causat in virtute ejus, tanquam in virtute cause superioris.

**Quartor** Nihil est causa instrumentalis respectu illius ad quod sua virtus activa sufficit ad producendum. Patet, si accipiatur instrumentum stricte, sicut serra et securis dicuntur instrumenta moventia mota: tale enim instrumentum non habet de se formam sufficientem ad producendum effectum, sed tantum per motionem principialis agentis superioris prodicitur quod produceatur. Si etiam instrumentum accipiatur alio modo, prout causa inferior dicitur instrumentum, vel forma quam hujusmodi causa recipit per motionem agentis superioris, qua forma agit, adhuc nullum istorum instrumentorum per formam suam potest in effectum respectu cuius est instrumentum; sed necesse est quod ad illum effectum concurrat simul illud concursans cuius est instrumentum. Nunc autem accidens, per formam suam præcise, sine omni actione substantiae, in quocumque agat, agit. Ergo nullo modo agit in virtute substantiae, vel ut instrumentum ejus ad aliquem effectum.

**Quinto.** Potest argui per principia tua. Quia omne instrumentum est movens motum. Sed accidens, in proposito, non est motum a substantia, cum ipsa non sit. Ergo accidens non est instrumentum.

**Sexto.** Quod accidens separatum non sit principium generandi substantiam principaliter (2), sicut erat panis, in quo prius erat illud accidens, arguitur sic: Omne agens totale, vel est univocum, et ita aequo perfectum cum producto; vel equivocum, et ita perfectius. Accidens autem est omnino imperficiens substantiam. Ergo, etc. Dicetur forte, quod aliquid agens equivocum potest esse ignobilius suo effectu: sicut albedo respectu sensationis; et sicut Commentator recitat de Galieno, super illud 7. *Meta-*

(2) *quod est substantia, vel aliquid quod est in substantia, cum substantia panis non sit simpliciter.* — *quod est in substantia panis, vel sit substantia simpliciter.* Pr.

(3) *principaliter.* — *principale.* Pr.

*physicæ* (com. 31), de illa virtute quam vocat divinam, quæ est formativa factus, et tamen non est simpliciter nobilior factu formatu. Contra hoc arguitur; licet illa propositio, *Simpliciter imperfectius secundum speciem vel genus, non potest esse totale principium actuum respectu perfectionis*, sit mihi aequa nota sicut alia in philosophia, qua negata, nescirem probare aliquem ordinem entium, nec quod primum ens sit perfectissimum. Immo posset proterviendo dici quod totum universum, et quodlibet in eo, est factum a musca: si enim arguas quod musca est imperfecta, et tamen idem dicas, quod imperfectius potest producere perfectius, habito hoc, nulla est ratio quare non possit imperfectius producere aliquid sic perfectius. Nec, illa protervia posita, posset probari (z) quod prima causa sit perfectissima, excellens omnia alia in creatione; nec etiam, addito quod sit causa æquivoca; immo (6) eum hoc posset stare, secundum istam proterviam, quod esset imperfectissima, vel imperfectior creatis. Tamen probo dictam propositionem aliter.

*Primo* sic. Causa univoca habet effectum univocum pro termino adaequato sue potentie. Sed, per te, causa æquivoca totalis, est imperfectior causa univoca. Ergo impossibile est causam illam æquivocam esse causam totalem respectu illius effectus. Et sic Deus non posset facere effectum, cuiuscunq; creature; quod est absurdum. Patet consequentia: quia effectus adaequatus potentie perfectiori, nullo modo potest esse a potentia imperfectiori.

*Secondo* sic. Ubi cum ad productionem aliquius effectus concurrunt causa univoca et causa æquivoca, æquivoca est perfectior, secundum Philosophum, 42. *Metaphysicæ* (t. e. 29, etc.), et 8. *Physicorum*. Propter hoc enim oportet totum ordinem accidentalem reducere in aliquam speciem essentiae, superiorem in causando, quia diffinitas uniformis oportet quod reducatur in causam uniformem, quæ sit causa uniformitatis in continuatione generationis et corruptionis. Ex hoc habeo istam propositionem, quod ubi ad idem concurrunt causa univoca et æquivoca, causa æquivoca est perfectior. Sed quod non possit sine univoca, hoc est aliqualis imperfectionis in causa æquivoca. Patet: quia enim Deus potest sine causa univoca; sed sol non potest in animal perfectum, licet possit in animal imperfectum. Ergo quecumque causa æquivoca potest sine univoca in effectum, ipsa est simpliciter perfectior quam illa æquivoca quæ posset concurrere cum univoca ad illud causandum. Et, per consequens, æquivoca totalis habet duplē p̄ficiētiā p̄ficiētiā causalitatis super effectum: unam quam habet æquivoca universaliter concurrens cum univoca;

et aliam, quia habet illam perfectionem quam univoca addidit in causando, quia illa carent multæ cause gruivocæ, licet longe perfectiores univocis.

*Tertio* sic. Si forma causæ æquivocæ daret esse formaliter alieui, non posset dare esse simpliciter perfectius seipsa. Ergo si imperfectius quam formaliter dat alieui esse, non potest ei dare perfectius seipsa (z). Sed dans esse effectiva alieui, dat ei esse modo imperfectiori quam dando sibi esse formaliter. Non enim est possibile quod aliquis modus dandi aliquod esse, sit ita perfectus sicut dandi formaliter illud esse; sicut nec essentia divina potest alieui dare esse a se, in quocunq; genere, perfectius quam sit esse quod ipsa dat formaliter.

*Quarto*. Si causatum sit simpliciter perfectius, licet sit simplex, tamen secundum intellectum potest dividi in duo: scilicet in illud in quo coæquatur sua cause, et in illud in quo excedit suam causam. Primum dicatur A, secundum B. Iste effectus, scilicet A, precise est effectus suae cause, quia simpliciter aequo perfectum ens sicut causa. Ergo B erit a seipso, vel a nihilo: quia ab A, vel ab ipsa causa non potest esse; nam ultra effectum adæquatum cause non potest. Et ista ratio accipitur ab Avicenna, sexto sua Metaphysicæ. Patet ergo quod propter nullas particulares instantias neganda est ista universalis propositio, que nota est ex terminis: quod *totale causans non potest esse imperfectius suo causato*, loquendo de causa efficiente; et quod *totale causans æquivocum, est perfectius*, quia non aequo perfectum; species enim (6) se habent ut numeri. Ex quibus patet quod accidentis separatum, non est totalis causa effectiva generationis substantie, nec, per consequens, corruptiva aliquis substantie, nec potest in ultimum gradum alterationis disponentis substantiam ad corruptionem. Ideo conceditur quod si tota substantia ignis in sphera sua destrueretur, et manerent ibi omnia sua accidentia, gutta aquæ ibi posita non destrueretur ab illis. — Hec Scotus.

### § 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scoti.** — Contra tertiam conclusionem arguit idem Scotus (dist. 42, q. 6), probando quod cum ex accidentibus separatis generatur vermis, forma substantialis nova non recipiatur subjective in dimensionibus interminatis, nec adveniat nova materia quæ subjiciatur formæ noviter generatae. Contra primum arguit sic:

*Primo*. Forma determinata ad aliquod receptivum, nullo modo potest aliud perficere; sicut nec albedo angelum, nec sapientia lapidem. Sed forma substantialis determinatur ad materiam substantia-

(z) illa protervia posita, posset probari. — illa posset reprobari Pr.

(6) quod. — Ad. Pr.

(z) a verbo Ergo usque ad seipso, om. Pr.

(6) enim. — autem Pr.

lem, ut ad proprium susceptivum. Ergo nullo modo potest perficere dimensionem de genere quantitatis, que non est materia substantialis.

**Secundo.** Quia forma de genere priori non potest perficere susceptivum de genere posteriori. Ergo nec forma substantialis dimensionem. Antecedens probatur : quia actus presupponit potentiam; et hoc, loquendo de ordine originis; actus autem generis prioris nec origine nec perfectione aliquid supponit de genere posteriori.

**Tertio.** Quia manifestum videtur quod forma substantialis est talis actus, qui natus est constitutere per se substantialiam. Ergo potentia ad talem actum non est aliquid de genere quantitatis.

**Quarto.** Illud quod est essentialis ratio terminandi dependentiam ad aliud, non potest ad illud dependere. Forma substantialis est hujusmodi respectu quantitatis. Ergo, etc.

**Quinto.** Quomodo de potentia dimensionis potest educi forma substantialis, cum ex natura rei non sit in illa ut in proprio potentiali?

**Sexto.** Quia tunc ignis genitus ex illa dimensione et ex forma substantiali ignis, non esset univoce nec uniformiter ignis cum alio igne genito ex forma substantiali et ex materia ignis; et tunc non univoce ageret comburendo hostiam, sicut comburendo lignum.

**Septimo.** Quia sequeretur absurditas ista, non solum in uno, scilicet quod erit ignis mathematicus ex quantitate et forma substantiali compositus; sed etiam sequitur talis processus in generationibus et corruptionibus usque ad finem mundi; nam ex illo igne habente dimensionem pro materia, dicto mathematico, generabitur ( $\infty$ ) aqua habens idem pro materia quod habuit corruptum pro materia, et ex illa aqua aer, et sic usque ad finem mundi, vel in infinitum, secundum philosophos.

**Octavo.** Quia sequitur quod, si sacerdos esset nutritus de ipsis speciebus, sicut est possibile, per magnum tempus, quoisque multae partes materiae fluxissent, et multae nove generante semper fuissent, sequitur quod iste partes non ita erunt vere partes carnis, constitutae ex essentialibus partibus carnis, sicut aliae partes que non essent genita ex speciebus. Et sic possibile esset ponere casum quod puer nutritus ex speciebus usque ad finem vite sue, non resurgeret nisi homo compositus ex dimensionibus et forma substantiali una vel pluribus.

Secunda pars conclusionis improbat. Quia, si materia redeat, queritur : quando venit? Aut sit in ultimo instanti quo generatur aliquid ex speciebus, aut ante ultimum instantem. Non ante, propter duo. Primum est, quia tunc, manente ibi Eucharistia, erit ibi alia materia a materia corporis Christi; quod

non tenet communis schola. Secundum est, quia tunc illa materia esset sine forma; quod est simpliciter impossibile, secundum te; saltem non est possibile sine novo miraculo; sed miracula non sunt ponenda sine necessitate. Si vero dicatur quod in instanti generationis redit ibi materia, frustra ponitur ibi redire ad hoc ut agens naturale generaret ex ea : quia, secundum te, non generat nisi de materia quanta. Similiter non posset generare nisi cum ista generatione concomitetur aliqua corruptio, secundum te; sed tunc non corrumperet aliquam substantialiam, quia illa materia non redit cum forma substantiali corrumpenda, quia tunc haberet eam et non haberet eam. — Hoc Scotus, in forma,

**II. Argumentum Durandi.** — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 42, q. 2), probando quod quantitas Eucharistie non possit naturaliter corrupti. Quia, si corrumperetur naturaliter, hoc esset, vel actione contrarii, vel corruptione subjecti, aut divisione sui. Non primo modo; quia quantitas non habet contrarium. Nec secundo modo; quia in hoc sacramento non habet subjectum. Nec tertio modo: quia omne quod corruptitur divisione sui, habet terminum in minus; sed quantitas non habet terminum in minus, sed est de se divisibilis in infinitum. Ergo natura non potest corrumperre talem quantitatem. — Hoc ille,

Et in hoc secundus articolus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### § I. AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Scotti.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Unde ad argumenta Scotti contra primam conclusionem, communiter dicitur quod non est intentio sancti Thothe dicere vel asserere quod inter novem genera accidentium sola quantitas per divinam potentiam possit esse vel fieri sine subiecto, cum ipse ponat quod Deus posset facere qualitatem sine quantitate, et non solum sine substantia. Vult tamen quod quantitas est quoad hoc habilius præ ceteris accidentibus corporeis, quia separata a subiecto potest refinire eundem modum individuationis quem habet in subiecto, non autem alia accidentia. Et de hoc sanctus Thomas, *Quodlibeto* 7, art. 10, dicit. « Divina potentiae, ratione sua immensitatis, attribuendum est quidquid in defectum non sonat. Tamen aliqua sunt, que natura creata non patitur ut fiant, propter aliquam repugnantiam quam important ratione contradictionis

( $\infty$ ) dicto mathematico, generabitur, et materia, generabitur pr.

implicitae. Et de talibus consteuit a quibusdam dici quod Deus ea facere possit, quamvis ea fieri non possint. Ut ergo videamus utrum fieri possit a Deo quod albedo sit sine quantitate, sciendum quod in albedine, et in qualibet alia corporali qualitate, est duo considerare: scilicet ipsam naturam albedinis, per quam speciem sortitur; et individuationem ejus, secundum quod est haec albedo sensibilis, ab alia sensibili albedine distincta. Posset ergo fieri, divino miraculo, ut natura albedinis subsisteret absque omni quantitate; tamen illa albedo non esset sicut albedo sensibilis, sed esset quedam forma intelligibilis, ad modum formarum separatarum quas posuit Plato. Sed quod haec albedo sensibilis esset individua sine quantitate, fieri non posset; quamvis fieri possit quod quantitas individuata esset sine substantia, quia quantitas non individuatur solum ex subjecto, sicut alia accidentia, sed etiam ex situ, qui est de ratione ipsius quantitatis dimensivae, quae est quantitas positionem habens. Et ideo possibile est imaginari duas lineas separatas ejusdem speciei, numero diversas, secundum diversum situm; alias linea non esset divisibilis ex ipsa ratione sui generis; non enim dividitur linea nisi in lineas. Plures autem (2) albedines ejusdem speciei sine subjecto imaginari, impossibile est. Et sic patet quod albedo non individuatur nisi in et ex subjecto. Et, propter hoc, non posset esse individuata, nisi esset in aliquo subjecto, ad minus in quantitate. Sed quantitas habet unde (3) individuatur, etiam absque subjecto. Et ideo per miraculum potest esse haec quantitas sensibilis absque subjecto, sicut patet in sacramento corporis Christi. » — Haec ille. — Item, ibidem, ad 4<sup>am</sup>, sic dicit: « Albedo, si sine quantitate esset, jam non esset corporalis qualitas (4), sed spiritualis. » Item, 4. *Contra Gentiles*, cap. 65, sic dicit: « Non est impossibile quod accidens, virtute divina, possit subsistere sine subjecto. Idem enim judicandum est (5) de productione rerum et de conservatione earum in esse. Divina autem virtus potest producere effectus quarumcumque causarum secundarum sine ipsis causis secundis, sicut potuit formare hominem sine seniis, et sanare febrem sine operatione nature. Quod accidit propter infinitatem virtutis ejus, et quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi. Unde et effectus causarum secundarum potest conservare (6) in esse sine causis secundis. Et hoc modo, in hoc sacramento, accidentia conservat in esse, sublata substantia, qua ipsa conservabat. Quod praecepit dici potest de quantitatibus dimensivis, quas etiam Platonici posse

(x) autem. — aut Pr.

(z) unde. — unum tertium, et Pr.

(3) qualitas. — quantitas Pr.

(4) est. — Om. Pr.

(5) conservare. — conservari Pr.

runt per se subsistere, propter hoc quod secundum intellectum separantur. Manifestum est autem quod plus potest Deus in operando, quam intellectus humanus in apprehendendo. Habet autem et hoc proprium quantitas dimensiva, inter reliqua accidentia, quod ipsa secundum se individuatur; quod ideo est, quia positio, quae est ordo partium in toto, in ejus ratione includitur; est enim dimensio quantitas positionem habens. Ubicunque autem intelligitur diversitas partium ejusdem speciei, necesse est intelligi individuationem; nam quae sunt unius speciei, non multiplicantur nisi secundum individuum. Et inde est quod non possunt apprehendi multae albedines, nisi secundum quod sunt in diversis subjectis. Possunt autem apprehendi multae lineae etiam secundum se considerentur; diversitas enim situs, quae per se lineae inest, ad pluralitatem linearum sufficiens est. Et quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet unde multiplicatio individuorum in eadem specie possit accidere, prima radix hujus multiplicationis ex dimensione esse videtur; quia et in genere substantiae multiplicatio fit secundum dimensionem materiae, que nec intelligi posset, nisi secundum quod materia (2) sub dimensionibus consideratur; nam, remota quantitate, omnis substantia indivisibilis est, ut patet per Philosophum, 4. *Physicorum* (t. c. 45). Manifestum est autem quod, in aliis generibus accidentiis, multiplicantur individua ejusdem speciei ex parte subjecti. Et sic relinquuntur quod, cum in hoc sacramento ponamus dimensiones per se subsistere, et alia accidentia in eis sicut in subjecto fundari, non oportet nos dicere quod accidentia hujus individuata non sint; remanet enim in ipsis dimensionibus individuationis radix. » — Haec ille. — Ex quibus patet quae sit mens ejus in hac materia, et quod argumenta Scoti non concludunt contra conclusionem bene intellectam. Unde

**Ad primum** dicitur quod non aliud concludit, nisi quod, cum qualitas essentialius dependeat a substantia quam a quantitate quoad summum esse, sicut potest esse sine substantia, divina virtute, ita et sine quantitate. Non autem concludit quod possit habere suam individuationem, qua est haec sensibilis qualitas, ab alia ejusdem speciei distincta, sine quantitate; quia, quoad hoc, plus dependet a quantitate quam a substantia, ut predictum est.

**Ad secundum** dicitur primo, quod, quidquid sit de conclusione, quam ultro concedimus; tamen argumentum parum aut nihil valet. Nam major potest probabilitate negari, scilicet quod absolute perfectiori non magis repugnet per se esse quam absolute imperfectiori; et hoc, accipiendo *per se esse* pro *esse sine subjecto*. Hujus enim falsitas eviden-

(a) a verbis *ex dimensione esse usque ad materia*, om. Pr.

ter appetat : quia qualibet forma substantialis, est quid absolutum, perfectius sua materia; et tamen, naturaliter loquendo, materia non est in subjecto, cum tamen qualibet forma substantialis educta de potentia materie sit in subjecto, nec possit esse naturaliter nisi in subjecto; et, consequenter, *per se*, id est, *non in subjecto esse*, plus repugnat absoluto perfectiori quam absoluto imperfectiori. De hoc sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, q<sup>ta</sup> 3, in solutione primi, sic dicit : « Prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas et qualitas. Et haec duo proportionantur duobus principiis essentialibus substantiae, scilicet forme et materie : quia quantitas respondet materiae (unde *magnum* et *parvum* Plato posuit differentias materie); sed qualitas se tenet ex parte formae. Et quia materia est subjectum primum, quod non est in alio, forma autem est in alio, quia in materia; ideo magis appropinquat ad hoc quod est *non esse in alio* quantitas quam qualitas, et per consequens quam alia accidentia. » — Hac ille.

**Ad tertium principale** dicitur primo, quod accidentis respectivum per nullam potentiam potest esse vel fieri sine proprio fundamento aut termino, cum ab illis capiat suam rationem. Unde nec in divinis est relatio sine fundamento. Consimiliter relatio realis non potest esse sine aliquo absoluto, nec in Deo, nec in creatura. Unde sanctus Thomas, 1 p., q. 28, art. 2, arguit sic, secundo loco : « Augustinus dicit, 7, *de Trinitate*, cap. 4 : *Omnis res qua relative dicitur, est etiam aliquid excepto relativo; sicut homo dominus, et homo servus.* Si ergo aliqua relationes sunt in Deo, oportet in Deo esse aliquid praeter relationes. Sed hoc aliud non potest esse nisi essentia. Ergo essentia est aliud a relationibus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Sicut, inquit, in rebus creatis, in illo quod relativo dicitur, non solum est invenire respectum ad alterum, sed etiam aliquid absolutum, ita et in Deo; sed tamen aliter, et aliter. Nam id quod invenitur in creatura praeter id quod continetur in significacione nominis relativi, est alia res; in Deo autem non est alia res, sed una et eadem, que non perfecte exprimitur nomine relativo, quasi sub significacione talis nominis comprehensa, etc. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod relatio realis non potest separari a qualibet absoluta.

Dicitur secundo, quod, dato quod relatio realis creata, divina virtute, posset fieri vel separari a subjecto; licet non absque omni fundamento absoluto; non tamen haberet illum modum individuationis quem modo habet, nec esset proprie idem individuum numero, sicut dictum est de qualitate.

Dicitur tertio, quod major hujus argumenti modicum habet apparentiam apud Beatum Thomam. Nam, secundum eum, relatio, seu respectus, ex ratione proprii generis non habent quod inhaerent

alicui subjecto, nec quod sint accidentia; sicut diffuse ostendit in multis locis, potissimum, *de Potentia Dei*, q. 8, art. 2, ubi sic dicit : « Inter novem genera quo continentur sub accidente, quadam significantur secundum rationem accidentis. Ratio enim accidentis est *inesse*; et ideo illa dico significari per modum accidentis, que significantur ut inherenter alteri, sicut quantitas et qualitas; quantitas enim significatur ut aliquid alienus in quo est, et similiter qualitas. *Ad aliquid* vero non significatur secundum rationem accidentis; non enim significatur ut aliquid ejus in quo est, sed ut ad id quod extra est. Et propter hoc dicit Philosophus, 5, *Metaphysicæ* (t. c. 20), quod scientia, in quantum est relativum, non est scientis, sed scibilis. Unde quidam attentes modum significandi in relativis, dixerunt ea non esse inherenter substantiis, sed quasi eis assistentia; quia significantur ut quoddam medium inter substantiam que refertur, et id ad quod refertur. Et ex hoc sequebatur quod in rebus creatis relationes non sunt accidentia; quia accidentis esse est *inesse*. Unde et quidam theologi, scilicet Porretani, hujusmodi positionem usque ad divinas relationes extenderunt, dicentes relationes non esse in personis, sed eis assistere. Et quia essentia divina est in personis, sequebatur quod relationes non sunt divina essentia. Et quia omne accidentis inheret, sequebatur quod non essent accidentia. Et, secundum hoc, solvebant dictum Augustini (5, *de Trinitate*), scilicet quod relationes non praedicantur de Deo secundum substantiam, nec secundum accidentem. Sed ad hanc opinionem sequitur quod relatio non sit res aliqua, sed solum ens secundum rationem: omnis enim res, vel est substantia, vel accidentis. Unde et quidam antiqui posuerunt relationes esse de secundis intellectis, ut dicit Commentator, 12, *Metaphysicæ* (com. 19). Et ideo oportet hoc Porretanos dicere, quod (z) relationes non sint nisi secundum rationem. Et sic sequitur quod distinctio personarum non erit realis; quod est hereticum. Unde dicendum est quod nihil prohibet aliquid esse inherens, quod tamen non significatur ut inherens: sicut et actio non significatur ut in agente, sed ut ab agente; et tamen constat actionem esse in agente. Et similiter, licet *ad aliquid* non significetur ut inherens, tamen oportet ut sit inherens; et hoc quando relatio est res aliqua; quando vero est secundum rationem tantum, tunc non est inherens, etc. » — Hac ille. — Item, q. 7, art. 8, sic dicit : « Relatio in hoc differt a quantitate et qualitate: quia qualitas et quantitas sunt quadam accidentia in subjecto remanentia; relatio autem, ut dicit Boetius, in libro *de Trinitate*, non significatur ut in subjecto manens, sed ut in transitu quoddam ad aliud. Unde et Porretani

(z) quod. — quia Pr.

dixerunt relationes non esse inherentes, sed assistentes; quod aliqualiter verum est, etc. » Similia ponit, 4 p., q. 28, art. 1; item, 4. *Sentent.*, dist. 26, q. 2, art. 1; et nōno *Quodlibeto*, art. 4; et multis aliis locis, ut patuit in 4. *Sentent.* (z). Ex quibus apparet quod minus repugnat relationi aut respectui (e) esse sine subjecto, quam quantitatii aut qualitatii: quia relationi solum repugnat ratione qua accidens, et non ratione qua relatio; aliis vero repugnat non solum ex ea parte qua sunt accidentia, verum etiam ex ratione proprii generis. Et patet etiam quomodo non solum relatio divina et increata est sine subjecto, verum etiam omnis relatio vel respectus rationis; talis enim nec est substantia nec accidens.

**Ad quartum**, negatur antecedens. Et ad probacionem, dicitur primo, quod motus condensationis et rarefactionis non dicunt aliquid absolutum, rea-  
litter distinctum a quantitate et qualitate. Nam rarefactio vel condensatio non est nisi qualitas vel quantitas procedens de actu in potentiam, vel econtra. Et quidem, si sit quantitas, argumentum non concludit quod aliud accidens praeter quantitatem sit in Eucharistia sine subjecto. Similiter, si talis motus sit qualitas, cum omnis qualitas Eucharistiae sit subjective in quantitate, non concluditur quod talis motus sit sine subjecto. Et sic penitus nihil concludit. — Quod autem motus ad formam non sit aliud absolutum a forma, longe ostensum fuit, 2. *Sentent.* (y), ex dictis Philosophi et sancti Thomae et aliorum. Sed pro nunc sufficit dictum sancti Thomae, in *Scripto super 11. Metaphysicæ* (lect. 9), ubi sic dicit: « Motus non habet aliquam naturam separatanam a rebus aliis; sed unaquaque forma, secundum quod est in fieri, est actus imperfectus, qui dicitur motus. Hoc enim est ipsum moveri ad albedinem, quod est incipere albedinem actu fieri in subjecto, sed nondum esse in actu perfecto, etc. » Item, super 3. *Physicorum*, lect. 2, sic dicit: « Considerandum est quod aliquid est in actu tantum, aliquid in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam et actum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem est jam in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est. Illud ergo movetur, quod medio modo se habet inter potentiam et actum; quod quidem partim est in potentia, partim vero in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida, nondum movetur; cum vero est jam calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur ad calorem; nam quia

calefit, paulatim participat calorem magis ac magis. Ipse enim actus imperfectus caloris in calefactibili existens, est motus: non quidem secundum illud quod actu est tantum, sed secundum quod jam actu est, et habet ordinem in ulteriore actum; quia, si tolleretur ordo ad ulteriore actum, ipse actus, quantumcumque imperfectus, esset terminus motus, et non motus, sicut accidit cum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriore actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter, si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriore actum, secundum quod habet rationem potentiae, non habet rationem motus, sed principii motus: potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita et a tepido. Sic ergo actus imperfectus habet rationem motus secundum quod comparatur ad ulteriore actum ut in potentia, et secundum quod comparatur ad aliquid imperfectius ut actus. Unde neque est potentia existentis in potentia, neque est actus existentis in actu, sed est actus existentis in potentia: ut per id quod dicitur *actus*, designetur ordo ejus ad praecedentem potentiam; et per id quod dicitur in *potentia existentis*, signetur ordo ejus ad ulteriore actum. Unde convenientissime Philosophus (3. *Physic.*, t. c. 6) diffinit motum, dicens quod est *endelechia*, id est, *actus existentis in potentia secundum quod hujusmodi*. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod motus, quoad suum materiale, et quoad suum *quid*, non est aliud a forma qua acquiritur vel perditur. Et ideo rarefactio non est tercia natura distincta a quantitate et qualitate, sed est quantitas vel qualitas materialiter; licet aliquos respectus ultra hoc importet pro formaliter, ut dictum est, scilicet ordinem ad aliquid potentialius, et ad aliud actualius. Item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 4, q<sup>a</sup> 2, in solutione primi, sic dicit: « Motus, quantum ad suam substantiam, reducitur ad illud genus in quo sunt termini motus, sicut imperfectum ad perfectum; quamvis ponatur in predicamento passionis, secundum quod importat ordinem moventis ad motum, ut dicit Commentator, in 3. *Physicorum* (com. 4). » — Hec ille.

Dicitur secundo, quod sicut raritas vel densitas non dicunt in recto quantitatem, sed potius qualitatem; sic et rarefactio et condensatio. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 77, art. 2, in solutione tertii, sic dicit: « *Rarum* et *densum* sunt quedam qualitates consequentes corpora, ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus, sicut et omnia alia accidentia consequuntur ex principiis substantie. Et sicut, subtracta substantia, divina virtute conservantur alia accidentia; ita, subtracta materia, divina virtute conservantur qualitates materiam consequentes, sicut *rarum* et *densum*. » — Hec ille.

Dicitur tertio, quod multum est inconveniens,

(x) Cfr. præsentim 1. *Sentent.*, dist. 20, q. 1, art. 4, C, II, ad 1<sup>am</sup>; et dist. 33, q. 1, art. 2, B, I, ad 8<sup>am</sup>.

(y) *rel accidenti, non.* — Ad Pr.

(z) Cfr. 2. *Sentent.*, dist. 1, q. 2, art. 3, § 2, III.

secundum doctrinam sancti Thomæ, dicere quod per quamcumque rarefactionem, et per quamcumque condensationem, desinat prior quantitas Eucharistie, et secundum totum, et secundum partem quamlibet sui, et acquiratur alia totaliter nova, cuius nihil praesuit: quia, secundum hoc, ad quamcumque talem mutationem desineret ibi esse corpus Christi, ut patuit in probatione tertiae conclusionis.

Dicitur quarto, quod etiam falsum est quod in rarefactione vel condensatione facta secundum quantitatem et qualitatem substantiis inherentes, et non in Eucharistia, corrumpatur totaliter prima quantitas, et acquiratur aliqua nova, cuius nihil praesuit. Et de hoc diffuse tractatum fuit, 2. *Sentent.* (z). Nec valent probationes ad hoc inductae.

Non quidem *prima*. Nam, licet termini motus sint incompossibilis quoad sua formalia, possunt tamen esse compossibilis quoad suum materiale, potissimum in alteratione que est secundum intensiōnem vel remissionem ejusdem formæ. Eadem enim formæ sub esse remisso est terminus *a quo*, et sub esse intenso est terminus *ad quem*. — Cum autem dicit arguens, quod *magis* et *minus*, vel *majus* et *minus*, non variant essentiam formæ, — non obstat: sufficit enim quod varietur esse formæ, licet non essentia, ut diffuse dictum fuit in 1. *Sentent.* (b). — Nec valet quod additur de differentia simul subjecti motus et terminorum. Quia, ut dictum est, si motus ille sit de genere quantitatis, est sine subjecto; si autem est de genere qualitatis, est subjective in quantitate Eucharistie. Et sic neutro modo subjectum talis motus est idem cum terminis motus.

Similiter nec valet *secunda probatio*. Nam, concessò primo consequente ibidem illato, scilicet quod qualibet pars rarioris est rario; tamen ulterior consequentia, qua infertur, *ergo qualibet est quanta, nova quantitate*, non valet. Quia, ut in *Secundo* (z) dictum fuit, in tali rarefactione, nulla nova quantitas secundum essentiam acquiritur in subjecto, nec in aliqua parte illius. Sed sicut in intensione albedinis, aut alterius qualitatis, eadem albedo secundum essentiam, nulla alia acquisita, prius dñat esse album remisse, et postea dat esse album intense, propter aliud et aliud, propter perfectius et imperfectius esse quod dat subjecto, et sic intenditur et remittitur; sic gadem quantitas, sine additione et subtractione alienus quantitatis, modo dat esse palmale, postea bipalmale. Et sic tale subjectum rarefit sine acquisitione novae quantitatis, non tamen sine acquisitione novi esse quantitatis, et novae actualitatis. Quod si alieni videatur mirum quod quantitas possit augeri sine additione, legal

(z) Cfr. presertim 2. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 3, § 1, l. ad 2<sup>am</sup>; et § 4, ad arg. Scotti.

(b) Cfr. 1. *Sentent.*, dist. 17, q. 2, art. 1.

(y) Cfr. 2. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 3, § 1, l. ad 2<sup>am</sup>, et § 4; et dist. 19, q. 1, art. 3, § 2, II ad 3<sup>am</sup>.

sancutum Thomam, 1. *Sentent.*, dist. 17 (q. 2), ubi agit de intensione charitatis; et in 2<sup>a</sup> 2<sup>am</sup>, q. 24, art. 5, in solutione primi, ubi sic dicit: « Quantitas corporalis potest in aliquid inquantum est quantitas, et in aliquid inquantum est forma accidentalis. Inquantum est quantitas, habet quod sit distinguibilis secundum situm, vel numerum; et ideo hoc modo consideratur augmentum magnitudinis per additionem, ut patet in animalibus. Inquantum vero est forma accidentalis, est distinguibilis solum secundum subjectum; et, secundum hoc, habet proprium augmentum, sicut et aliae formæ accidentales, per modum intensionis in subjecto; sicut patet in his que rarefiunt, ut probat Philosophus, 4. *Physicorum* (l. c. 80 et seq.). » — Haec ille. — Si autem quis dicat quod quantitas non suscepit *magis* et *minus*, secundum Philosophum, in *Prædicamentis* (cap. *de Quanto*), — ad hoc responsum est in *Secundo* (z). Et similiter patet responsio per statim dicta, quod hoc non competit quantitatì ut quantitas est, sed ut est forma accidentalis apta dare subjecto suo perfectius et imperfectius esse, et ipsum diversimode actuare.

Ad confirmationem tertio loco factam, dicitur quod, proprie loquendo, sicut quantitas est subjectum raritatis, ita et rarefactionis, que est motus per se terminatus ad qualitatem, sed ex consequenti ad quantitatem; et hoc tam in rarefactione Eucharistie quam in aliis rarefactionibus. — Ad illud quod ultimo additur, de fractione specierum, etc., patet per predicta. Quia in tali fractione est motus localis partium quantitatis, et corruptio unius totalis quantitatis composite ex partibus. Motus autem localis constat quod est subjective in partibus, que mouentur, et ab invicem separantur. Corruptio autem formæ totius, materialiter non est aliud ab illa forma tendente de actu in potentiam, et de esse in non esse. Unde, sicut illa forma erat in suis partibus, ita et dicta corruptio; et sicut illa forma erat sine subjecto, ita et illa mutatio. Et sic patet quod sola quantitas est ibi sine subjecto. Per idem patet de additione. Sciendum autem quod, si motus non ponatur esse formæ fluens, sed potius fluxus formæ, prout ponunt aliqui, tunc dicendum esset quod talis fluxus esset subjective in quantitate vel qualitate fluente. Vide hanc materiam in septimo *Quodlibeto* Godofridi, q. 3, cum impugnationibus Bernardi de Gannato. Multa etiam de hac materia dicta sunt, 2. *Sentent.* (6).

**II. Ad alia argumenta Scotti. — Ad primum** eorum que secundo loco inducit contra conclusionem, probando quod in Eucharistia quantitas non sit subjectum aliorum accidentium, — dicendum

(z) Cfr. 2. *Sentent.*, dist. 18, q. 1, art. 3, § 6, II, ad 2<sup>am</sup>, in fine.

(y) Cfr. presertim 2. *Sentent.*, dist. 2, q. 2.

quod Philosophus, 4. *Metaphysicæ* (t. c. 14), intendit quod unum accidens non accidit alteri naturaliter tanquam principali sustentativo, quia nullum accidens in virtute propria potest sustentare aliud accidens. De hoc sepe dictum est alias (2). Unde sanctus Thomas, *de Virtutibus*, q. 4, art. 3, sic dicit: « Subjectum tripliciter comparatur ad accidens. Uno modo, sicut præbens ei sustentamentum: nam accidens per se non subsistit, fulcitur vero per subjectum. Alio modo, sicut potentia ad actum: nam subjectum accidenti subjetetur, sicut quedam potentia actui; unde et accidens forma dicitur. Tertio modo, sicut causa ad effectum: nam principia subjecti sunt principia per se accidentis. Quantum ergo ad primum, unum accidens subjectum alterius esse non potest: nam, cum nullum accidens per se subsistat, non potest alteri sustentamentum præbere; nisi forte dicatur quod, in quantum est a subjecto sustentatum, aliud accidens sustentat. Sed quantum ad alia duo, unum accidens se habet ad aliud per modum subjecti: nam unum accidens est in potentia ad aliud, sicut diaphantum ad lucem, et superficies ad colorem; unum etiam accidens potest esse causa alterius, ut humor saporis. Et per hunc modum dicitur unum accidens esse alterius accidentis subjectum: non quod unum accidens possit alteri sustentamentum præbere; sed quia subjectum est receptivum unius accidentis, mediante alio. » — Hac ille. — Ex quibus patet ad argumentum. Et potissimum patet quod argumentum in proposito nullum locum habet: quia, deficiente causa, deficit effectus; causa autem quare unum accidens non potest esse alterius subjectum proprie, tanquam sustentativum ejus naturaliter, est ista, quia scilicet nullum accidens naturaliter subsistit; et quia haec causa tollitur in Eucharistia, quia, virtute divina, quantitas subsistit, ideo nil mirum si tollitur effectus, scilicet non posse esse subjectum alterius. Immo, quia ipsa sola subsistit, ideo potest esse subjectum sustentativum aliorum.

**Ad secundum** dicitur quod, sicut divina virtute accidens potest participare aliquam similitudinem perseitatis substantie, et modum essendi substantie, ut patet in sacramento Eucharistie; ita etiam substantia completa, cuiusmodi est humanitas, potest eadem virtute participare modum essendi accidentis, ut patet de humanitate Christi. Et de hoc plura dicta sunt, 3. *Sentent.* (6). Posset tamen dici quod similitudo parum valet; quia plus repugnat perfecto trahi ad modum imperfecti, quam econtra.

**Ad tertium**, negatur minor in proposito: quia

(2) Cfr. 1. *Sentent.*, dist. 3, q. 3, art. 2, C, § 1, 1, ad 2<sup>mo</sup>, et III, ad arg. Occam; item, 3. *Sentent.*, dist. 5, q. 2, art. 3, ad 9<sup>mo</sup>, ad quintum probat; item 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 4, art. 3, § 3, III, ad 2<sup>mo</sup>, in fine; item, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 3, § 1, 1, ad 3<sup>mo</sup>.

(6) Cfr. praesertim 3. *Sentent.*, dist. 5 et 6.

quantitas Eucharistiae non dependet actu ab aliquo subjecto, sed per se subsistit; et ideo potest terminare dependentiam aliorum accidentium, quae non per se subsistunt. Dicitur secundo, quod non semper requiritur ad rationem subjecti esse terminativum talis dependentie qualem requirit arguens, nec in accidentibus Eucharistiae, nec in aliis. Quia, sicut ostensum est, hoc solum requiritur ad subjectum primo modo sumptum, non autem ad subjectum secundo vel tertio modo sumptum. Non enim oportet quod omne subjectum sit sustentativum; et, per consequens, nec oportet quod sit terminativum dependentie accidentis, etc.

**III. Ad argumenta Aureoli.** Ad primum Aureoli contra eandem conclusionem negatur minor. Non enim essentia accidentis in tali interminabilitate (2) consistit, de qua arguens loquitur, nec in repugnancia ad oppositam terminationem aut terminabilitatem; sed in hoc quod est essentia talis, cui secundum naturam suam debetur esse in alio. Nec habet potentiam naturalem ad esse per se; habet tamen potentiam obedientiae ad hoc. Et sic, si detur sibi esse per se, vel terminatio propria, sine extrinseco subjecto, non datur ei aliquid sue naturae repugnans, sed aliquid supra naturam; nec transfertur in aliud genus, sed participat modum essendi superioris generis.

De predictis sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 4, art. 4, q<sup>ta</sup> 1, in responsione primi, sic dicit: « Inesse non dicit esse accidentis absolute; sed magis modum essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui esse. Et quia, remoto ordine accidentis ad causam proximam, adhuc potest remanere ordo ipsius ad causam proximam, secundum quem modus ipsius essendi non est inesse, sed ab alio esse, ideo potest Deus facere quod sit accidens, et non insit; nec tamen esse accidentis ab accidente removebitur, sed modus essendi. » — Hac ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Sicut probat Avicenna in sua Metaphysica, per se existere non est diffinitio substantiae. Quia per hoc non demonstratur quidditas ejus, sed suum esse; et sua quidditas non est suum esse, alias non posset esse genus; quia esse non potest esse commune per modum generis, cum singula contenta in genere differant secundum esse. Sed diffinitio, vel quasi diffinitio substantiae est: res habens quidditatem, cui acquiritur esse, vel debetur esse non in alio. Et similiter, esse in subjecto, non est diffinitio accidentis; sed econtrario, res cui debetur esse in alio. Et hoc minquam separari ab aliicio accidente, nec separari potest: quia illius rei quae est accidens, secundum rationem sue quidditatis semper debetur esse in alio. Sed potest esse quod

(2) interminabilitate. — terminatus Pr.

illud quod debetur alieni secundum rationem sue quidditatis, ei divina virtute agente non conveniat. Et sic patet quod facere accidens esse sine substantia, non est separare diffinitionem a diffinitio. Et si aliquando hoc dicatur diffinitio accidentis, praedicto modo intelligenda est dicta diffinitio: quia aliquando ab auctoribus (2) diffinitiones ponuntur causa brevitatis, non secundum debitum ordinem, sed tanguntur illa ex quibus potest accipi diffinitio. » Item, eodem articulo, q<sup>ta</sup> 3, in solutione quinti, sic dicit: « Cum ista accidentia habeant esse et essentias proprias, cum eorum essentia non sit suum esse, constat quod aliud est in eis esse et quod est, etc. » Item, ibidem, in solutione sexti, sic dicit: « Sicut subjectum quod ponitur in diffinitione accidentium, non est de essentia accidentis; ita materia, que ponitur in diffinitione raritatis et densitatis, non est de essentia eorum, etc. » Item, 3 p., q. 77, art. 4, in solutione secundi, sic dicit: « Cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est esse non potest esse essentia (3) substantiae vel accidentis. Non ergo diffinitio substantiae est, ens per se, sine subjecto; nec diffinitio accidentis est, ens in subjecto. Sed quiditati (4) seu essentiae substantiae competit habere esse non in subjecto; quiditati autem sive essentiae accidentis competit habere esse (5) in subjecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi sua naturae vel essentiae sint sine subjecto, sed ex divina virtute sustentante. Et ideo non desinunt esse accidentia; quia nec separatur ab eis diffinitio accidentis, nec competit eis diffinitio substantiae. » — Haec ille, Item, ibidem, in solutione quarti, sic dicit: « Accidentia hujusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa esse, nec alia accidentia; sed substantia eorum habebat esse hujusmodi per ea, sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia, que remanent, habent esse; unde sunt composita ex esse et quod est. » — Haec ille. — Item, nono *Quodlibeto*, art. 5, in solutione primi, sic dicit: « Cum dicitur accidentis esse est inesse, vel qualitercumque ponatur subjectum in diffinitione accidentis, intelligitur esse per additionem, ut habetur in 7: *Metaphysica* (4, c. 17). Et dicitur diffinitio per additionem, quando in diffinitione ponitur aliquid quod est extra naturam diffiniti, sicut nasus ponitur in diffinitione simi. Hoe autem est propter naturalem dependen-  
tiam accidentis a subjecto. Sed, hoc non impediente, Dens potest accidentia sine subjecto conservare. Nec tamen sequitur contradictione esse simul; quia subjectum non est de essentia accidentis. » — Haec ille.

Ex quibus patet quod essentia accidentis non

includit substantiam, nec quasi partem sui, nec quasi terminum intrinsecum vel extrinsecum, aut quasi completivum vel integrativum, ita quod sine substantia non sit essentia integra, aut completa, vel terminata proprio termino, scilicet genere et differentia, vel actu et potentia. Sed verum est quod naturaliter accidens non habet esse terminatum nisi per substantiam sibi subjectam, quantum ad hoc quod accidens non est *quod est*, sed *quo aliquid est*; et similiter quia in sua diffinitione includit subjectum ut terminum naturalis dependentie, quem tamen potest a Deo suppleri supra naturam. Et de hac materia multa dicta sunt in *Secundo* (2), que non oportet hic repetere.

Ad secundum, negatur major, et conceditur oppositum, scilicet quod quantitas habet proprias partes realiter distinctas a partibus substantiae et aliorum accidentium, sicut sonal communis doctrina omnium philosophorum, potissimum illorum qui posuerunt mathematica a sensibilibus separata. Et ad probationem, dicitur quod partibilitas potest sumi in proposito quadripliciter. Primo modo, pro forma vel natura absoluta, cui primo et per se convenit divisio et habere partes, et quae est ratio alii habendi partes et divisionem. Secundo modo, potest sumi pro potentia vel aptitudine ad habendum partes et divisionem. Tertio modo, pro effectu formalis partibilitatis primo modo dicta, quem dat suo subjecto, scilicet esse partibile vel divisibile in partes unius rationis; sicut effectus formalis albedinis, quem dat suo subjecto, est esse album. Quarto modo, pro aliquo respectu consequente substantiam vel accidens partibile. Tunc dicitur quod partibilitas primo modo dicta, est ipsa natura quantitatis. Sed secundo modo dicta, est substantia, vel qualitas, saltem fundamentaliter; quia ipsa substantia materialis, ante adventum quantitatis, est in potentia ad quantitatem, et ad habendum partes et divisionem. Sed tertio modo dicta, differt a quantitate, sicut esse ab essentia, et effectus formalis a forma quae dat talum effectum et tale esse. De quarta acceptione non est cura. — Cum autem contra hoc arguitur, quia tunc posset intelligi substantia partibilis sine quantitate, etc.; — negatur consequentia: quia effectus formalis per nullam potentiam potest esse vel fieri sine forma a qua fluit, sicut esse album sine albedine, vel esse animalium sine anima. Similiter nec secunda consequentia valet: quia non solum effectus efficientis differt a causa efficiente, immo etiam effectus causae formalis differt a forma. Differt autem causalitas haec ab illa: quia effectus cause efficientis procedit ab ea per transmutationem vel actionem intermedia; non autem effectus formalis, sed per quamdam naturalem resolutionem et consequientiam. Et

(2) *auctoribus*, — *accidentibus* Pr.

(3) *essentia*, — *esse* Pr.

(4) *quiditati*, — *quiditatis* Pr.

(5) a verbis *non in usque ad esse*, om. Pr.

a) Cfr. praecepsim 2. *Sentent.*, dist. 48, q. 1, art. 3, § 1, III